

sipientium fructibus terre satiari desiderant, eosque avidissime colligunt, et recondunt, et de auctore non cogitant, neque illi gratias agunt : et quorum animæ similes sunt terræ, cui maledixit Deus, quæ spinas et tribulos germinat, quid enim cogitant illi, in quibus Deus non seminat casta consilia, nisi fornicationes, adulteria, homicidia, sacrilegia, furta, proditioes, et alia id genus? et quid isti loquuntur nisi blasphemias, perjuriam, maledicta, hæreses, convicia, contumelias, falsa testimonia, mendacia, et alia id genus, quæ a patre suo Diabolo didicerunt? Et quos postremo fructus producent, nisi venenosos illos fructus, quos ab ipsis cogitari assidue diximus, et qui ab Apostolo opera carnis nominantur? Istæ nimirum spinæ sunt, quæ primo pungunt animos germinantium eas, punctioibus amarissimis timorum, et sollicitudinum : deinde pungunt famam, et corpora, et animos proximorum læsione gravissima, et sæpe irreparabili, ex qua postea plurima et gravissima ad alios detrimenta perveniunt.

Sed his omissis, tu anima mea, si hortulus es cœlestis agricola, cave ne spinæ, vel tribuli unquam inveniantur in te, sed omni sollicitudine fove arborem charitatis, et lilia castitatis, et nardum humilitatis, cave ne unquam tibi subrepat, ut a te esse existimes cœlestia ista germina virtutum, et non a Domino Deo tuo, qui est Dominus virtutum, seminatos casti consilii, sed et conservationem, et incrementum, et maturitatem fructuum honorum operum, non tibi attribuas, sed illi commenda, et ad illum sis semper fortitudo tua.

Restat ultima terræ laus, quod videlicet aurum, et argentum, et lapides pretiosos intra sinum suum contineat. Sed certe non virtute sua producit terra tam pretiosas rerum species, sed illo, qui per Aggræum dicit : *Meum est aurum, et meum est argentum.* O amator hominum, itane hoc etiam placuit dulcedini tue, ut non solum produceres humano generi lapides, et ligna, et ferrum, et æs, et plumbum, et alia id genus necessaria ad domos et naves ædificandas, et instrumenta varia construenda : sed etiam aurum, et argentum, et lapides pretiosos ad ornatum, et decorem? Et si hæc tribus peregrinantibus in terra, et sæpe etiam inimicis tuis blasphemantibus nomen tuum, quid dabis dilectis tuis, et benedicientibus, et tecum regnantibus in cœlo? Dabis utique non frustula auri, vel argenti, nec pauculas gemmas pre-

tiosas, sed civitatem illam de qua loquitur Joannes Apostolus in Apocalypsi, cum ait : *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, et duodecim porta duodecim margarite sunt.* Nec vero existimamus, civitatem illam supernam Hierusalem, cœlestem, ex auro et gemmis, et margaritis, quales hic sunt, constructam esse, vel ornata; scimus enim Spiritum sanctum his vocibus uti, quoniam ad nos loquitur, qui meliora, vel majora non vidimus; sed sine dubitatione ulla multo excellentior erit civitas illa, quæ est patria electorum Dei, in omnibus civitatibus peregrinationis hujus, quanto civitas aurea et gemmata præstaret omnibus rusticorum pagis, qui ex luto et paleis constant.

Erige ergo, anima mea, oculos mentis ad cœlum, et cogita quanti sint faciendi bona, quæ illic sunt, cum species auri, et argenti, et lapidum pretiosorum, quæ hic tantum sunt, illis bonis comparatæ, vix luti et palearum nomine censeantur. Addo, quod aurum, et argentum, et margaritæ, quæ hic habentur in pretio, corruptibilia sunt, quæ autem in patria, incorruptibilia et sempiterna sunt. Sed si per manus pauperum hoc ipsum corruptibile aurum et argentum, quod hic habes, ad cœlestem civitatem transferre volueris, quod utique, si sapias, omnino facies, et ipsum incorruptibile fiet, et tibi manebit in æternum. Non enim mentiri potest Veritas, quæ dicit : *Vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et alio loco : Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam; facite vobis sacculus, qui non veterascunt, thesaurum non deficietem in cœlo, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.* O incredulitas filiorum hominum! promittit homo mendax decem pro centum, et sortem integram mutandi se representaturum, et creditur ei, promittit, qui mentiri non potest Deus, danti eleemosynam thesaurum in cœlo, imo etiam centum pro uno, et vitam æternam se redditurum, et trepidat avarus homo, nec facile adduci potest, ut credat, et mavult thesaurum suum abscondere, ubi ærugo consumit, et fures effodiunt, et furantur, quam in cœlo reponere, quo fur non appropriat, neque ærugo consumit. Sed etiam si aliquando neque fures auferant, neque tinea, vel ærugo corrumpat, quæ tanto labore parasti, et conservasti, o homo infelix, cujus erunt?

## GRADUS QUARTUS.

*Ex consideratione aquarum, ac præcipue fontium.*

Secundum locum inter elementa mundi tenet aqua. Ex ea quoque si recte inspicatur, gradus ascensionis in Deum construi poterit. Ac primum aquam univèrse considerabimus : deinde specialem ascensionem in Deum e fontibus hauriemus.

Aqua humida est, et frigida, ac per hoc quinque veluti proprietates habet, nam lavat et abstergit maculas : extinguit ignem : refrigerat ac temperat ardorem sitis : conjungit res multas ac diversas in unum : denique quam profunde descendit, tam alte ascendit. Hæc omnia manifesta sunt symbola, sive vestigia conditoris rerum omnium Dei. Lavat aqua maculas corporales ; lavat Deus maculas spirituales. *Lavabis me*, inquit David, *et super nivem dealbabor.* Quamvis enim maculas cordis, id est, peccata, lavet contritio, lavent Sacramenta, lavent Sacerdotes, lavent eleemosynæ, atque alia opera pietatis : tamen hæc omnia vel instrumenta sunt, vel dispositiones, qui lotionis hujus auctor est, solus Deus est. *Ego sum*, inquit Deus per Isaiam, *ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ideo Pharisei, qui murmurantes adversus Christum dicebant : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* non fallebantur in eo, quod soli Deo tribuebant potestatem supremam dimittendi peccata : sed in eo, quod Christum, Deum non esse credebant, proinde simul et blasphemabant, et vera dicebant.

Nec solum Deus lavat maculas cordis ad similitudinem aquæ, sed etiam aqua nominari voluit, sic enim scribit S. Joannes : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, ergo Spiritus sanctus, qui utique Deus est, aqua viva est, et de hac aqua dicit Ezechiel : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et quoniam aqua ista cœlestis, et increata longe superat virtutem aquæ terrestris et creatæ : ideo tres differentias annotare placet inter lotionem aquæ creatæ, et increatæ.

Aqua creata lavat maculas corporum, sed

tua certe non erunt, cujus tamen esse poterant, si per manus pauperum in cœlestes thesauros transtulisses. Usus quidem docet, ea quæ avari divites collegerunt, ad heredes prodigos pervenire, qui multo breviori tempore profundunt, quam avari parentes collegerant, atque interim peccatum avaritiæ manet, æternumque manebit, et vermis conscientie non morietur, et ignis inferni non extinguetur.

Ergo, anima mea, aliorum insipientia te erudiat, et audi Dominum et Magistrum tuum concionantem : *Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet.* Avarus congregat, et conservat, ut habeat, unde diu vivat, sed contra accidit : nam quando minus cogitat moritur, et substantia avaræ congregata et conservata generat vermem, qui non morietur, et excitat ignem, qui non extinguetur. O avaræ infelix, ergone tam sollicitè aggregasti pecunias, ut fomentum parares igni gehennæ, quo nunquam extinguetur. Audi B. Jacobum in extrema epistola sua : *Agite*, inquit, *nunc divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ adventent vobis, divitiæ vestræ putrefactæ sunt ; et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Vos quidem, inquit B. Jacobus, quia divites estis, beati existimamini, et dicimini, sed revera miseri estis, et egenis omnibus miseriore, et materiam magnam habetis lugendi, et ululandi propter ingentes miseras, quæ certe advenient vobis, divitiæ enim supervacaneæ, quas conservastis, et quas putrefieri sinistis, cum eas pauperibus erogare deberetis, et vestimenta vestra, quæ superflua possidetis, et potius a tineis comedi, quam pauperes inde vestiri patimini, et aurum et argentum, quod ab æruginè consumi vultis potius, quam illud in cibos pauperum erogetis ; hæc, inquam, omnia contra vos in die judicii testimonium dicent, et tineæ ac ærugo divitiarum vestrarum in ignem urentem convertentur, qui æterno tempore carnes vestras devorabit, et nunquam consumet, ut ignis non extinguetur, et dolor non finiat. Ergo cum Propheta regio concludamus : *Beatum dixerunt (stulti) populum cui hæc sunt, divitiæ videlicet exuberantes : re autem vera, Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

non omnes : multas enim lavare nequit, nisi juvetur sapore, vel aliis instrumentis. Aqua increata omnes omnino maculas lavat, sic enim in loco paulo ante notato legimus : *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Aqua creata raro ita maculas omnes tergit, ut vestigium aliquod, vel quasi umbra maculae non relinquatur. Aqua increata sic lavat, ut res lota candidior pulchriorque reddatur, quam esset antequam inquinaretur. *Lavabis me*, inquit David, *et super nivem dealbabor.* Et per Isaiam Dominus dicit : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Denique aqua creata lavat maculas naturales, quae non resistunt abstergenti : aqua increata lavat maculas voluntarias, quae lavari nequeunt, nisi anima ipsa velit, et abstergenti sponte consentiat. Sed tanta et tam admirabilis est virtus hujus aquae, ut suavissime etiam in lapidea corda penetret, et ideo a nullo duro corde respuitur, quia ipsa facit, ut non respuat, ut recte monet S. Augustinus : Quis capiat, Domine, quam admirabili ratione in corda infidelium inspiras fidem, et in corda superborum infundas humilitatem, et in corda hostium tuorum insinnes caritatem, ut qui paulo ante spirans minarum et caedis te in discipulis tuis persequabatur, repente mutatus pro te et pro Ecclesia tua minas et caedes persequentium libentissime perferat? multum est a me, ut in haec secreta tua penetrem, et malo experiri, quam scrutari efficiam gratiae tuae. Et quoniam novi aquam istam tuam, esse *Pluviam voluntariam, segregatam hereditati tuae*, ut cecinit Propheta tuus. Ideo humiliter et suppliciter peto, ut inveniat in hereditate tua, et placeat gratiae tuae in terram cordis mei descendere, ne maneat sicut terra sine aqua tibi, aridum, et sterile, quale ex se est, ut ne cogitare quidem boni aliquid ex se sufficiat. Sed pergamus ad reliqua.

Aqua extinguit ignem; et aqua illa caelestis, gratia videlicet Spiritus sancti, admirabili ratione et modo extinguit ignem carnalium concupiscentiarum. Multum quidem valent ad hoc incendium restringendum jejunia, et corporis afflictiones : sed si addantur, ut instrumenta gratiae Spiritus sancti, alioqui per se sola non multum valent. Amor enim princeps est affectionum, et perturbationum animi : ille regit omnes, et omnes

illi uni obtemperant. Amor cogi non vult, et si ab una parte via illi obstruatur, erumpit ab altera. Amor nihil timet, omnia audet, omnia vincit, nihil sibi difficile, aut impossibile arbitratur, denique nulli cedit amor minor, nisi amori majori, et valentiori, sic omnino carnalis amor, sive divitias, sive delicias mundi sequatur, uni cedit amori Dei; cum primum incipit aqua Spiritus sancti in cor hominis instillari, continuo frigescere incipit amor carnalis. Testis nobis sit B. Augustinus, qui cum assuetus esset indulgere libidini, et impossibile sibi duceret consortio ieminae posse carere, tamen ubi gustare cepit Spiritus sancti gratiam, exclamavit in principio libri noni Confessionum : « Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim a me vera tu et summa suavitas; ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, et sanguini : omni luce clarior, sed omni secreto interior : omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. »

Aqua praeterea sitim sedat; et aqua illa caelestis sola potest desideris cordis humani variis, et molestissimis, ac prope infinitis finem imponere. Sic Veritas ad Samaritanam loquens manifestissime docuit : *Qui biberit*, inquit, *ex aqua hac, sitiet iterum : qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Omnino sic res habet : *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu,* quicquid homini offeratur, non potest ejus desiderium satiare, cum ille capax sit infiniti boni, et res omnes creatae certis terminis circumscribantur. Sed qui bibere incipit aquam caelestem, in qua sunt omnia nihil expetit, nihil requirit amplius. Sed de hac re diximus supra cum de quiete animi in solo Deo, ut in proprio centro loqueremur.

Aqua simul conjungit, et in unum redigit, quae vix uniri posse videbantur, sic multa grana farinae per aquae admixtionem unus panis efficiuntur, et ex multis partibus terrae, per aquae ad unctionem lateres fiunt. Sed multo facilius et insolubilius aqua Spiritus sancti facit, ut multi homines *Sint cor unum, et anima una.* Id quod in Actis Apostolorum dicitur de primis Christianis, in quos proxime descenderat Spiritus sanctus. Sed et Dominus hanc unitatem, quam efficit aqua Spiritus sancti, iturus ad Patrem commendat, et praedicat, cum ait : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri*

*sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et paulo post : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Ad quam unitatem hortatur etiam Apostolus in epistola ad Ephes : *Solliciti, inquit, servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* O felix unio, quae multos homines facit esse unum Christi corpus, quod ab uno capite regitur, et de uno pane comedit, et de uno calice bibit, et de uno spiritu vivit, et adhaerens Deo unus spiritus fit cum eo. Quid amplius desiderare potest servus, quam ut non solum particeps fiat omnium honorum domini sui, sed etiam vinculo amoris indissolubili unum fiat cum ipso omnipotenti, et sapientissimo, et pulcherrimo domino suo? Atqui hoc totum facit Spiritus sancti gratia, ut aqua vivens, et vivificans, quando in corde recipitur devote, et tota diligentia ac sollicitudine custoditur.

Aqua denique tam alte ascendit, quam ex alto descendit. Et quoniam Spiritus sanctus de summo caelo venit in terras, ideo in homine, in cujus corde recipitur, *Fit fons aquae salientis in vitam aeternam*, ut Dominus ait ad mulierem Samaritanam, id est, homo renatus ex aqua et Spiritu sancto, et qui eundem inhabitantem Spiritum in corde suo gerit, illuc erigit merita, unde descendit gratia.

Ergo, anima mea, his vocibus Scripturarum edocta, et excitata, iterum atque iterum, gemitibus inenarrabilibus dicas Patri tuo : Da mihi hanc aquam, quae maculas omnes detergat, quae concupiscentiae calorem extinguat, quae sitim omnem et omnia desideria sedet, quae unum spiritum cum Deo tuo te faciat, quae fiat in te fons aquae salientis in vitam aeternam, ut illic merita praemittas, ubi te speras sine fine mansuram. Non sine causa Filius Dei dixit : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* et non dixit, dabit panem, aut vestem, aut sapientiam, aut charitatem, aut regnum caelorum, aut vitam aeternam : sed dixit, dabit spiritum bonum, quia in illo continetur omnia. Tu igitur non cesses quotidie Patrem admonere promissionis Filii sui, atque dicere cum ingenti affectu, et certa spe obtinendi? Pater sancte, non in

justificationibus meis fundo preces ad te, sed in promissione unigeniti Filii tui. Ille nobis dixit : Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se, certe Filius tuus veritas est, non nos decipit; ideo adimple promissionem Filii tui, qui te clarificavit super terram, tibi quae obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, da spiritum bonum petenti te, da spiritum timoris et amoris tui, ut servus tuus nihil timeat nisi offendere te, et nihil diligat praeter te, et proximum suum in te : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projecias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi latitium salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

Venio nunc ad similitudinem, quam habent fontes aquae cum Deo, hinc enim erigi potest animus ad contemplanda plane mirabilia, de excellentia conditoris. Non enim sine causa in Scripturis sanctis dicitur, *Deus : Fons vitae, et fons sapientiae et fons aquae vivae.* Et quod sit fons essendi colligitur ex verbis ipsius Dei ad Mosem : *Ego sum, qui sum, qui est misit me ad vos.* Quae omnia simul comprehendisse videtur Apostolus, cum ait : *In ipso vivimus, movemur, et sumus.* In ipso enim sumus tamquam in fonte essendi, et in ipso vivimus tamquam in fonte vitae, et in ipso movemur tamquam in fonte sapientiae, quia *omnibus mobilibus mobilior est sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam*, ut dicitur in libro Sapientiae.

Fons aquae hic apud nos, id habet proprii, ut ab eo nascentur flumina, et si desinant a fonte fluere, continuo exarescant : fons autem ipse non pendet a fluminibus, quia non accipit ab illis aquas, sed ipse in se habet, et cum aliis communicat. Hoc est verum symbolum, et vestigium divinitatis, est enim Deus verissimus fons essendi : siquidem ipse a nulla re accipit esse, et omnia ab ipso accipiunt, a nulla re Deus accipit esse, quia de Dei essentia est esse, et ipsa essentia est ejus existentia, ut nec fieri, nec cogitari possit, Deum non semper exstitisse, aut non semper existere. Res caeterae possunt ad tempus esse, et ad tempus non esse, quoniam ad eorum essentiam non necessario pertinet esse, ut exempli causa, de essentia hominis est, ut sit animal rationale, atque ideo non potest homo esse, et non esse animal rationale : et si de essentia hominis esset etiam

existere, non posset non semper existere. Sed quia de essentia ejus non est existere, ideo potest existere, et non existere. Deus ergo est fons essendi, quia in sua essentia includit actu semper existere. Atque hoc significant illa verba: *Ego sum, qui sum*, id est, ego sum ipsum esse, et non aliunde accipio esse, sed in me habeo, mihi soli convenit, ut essentia mihi sit esse, atque hinc etiam propria Deo est æternitas, et immortalitas, ut Apostolus dicit: *Regi sæculorum immortalis, soli Deo, etc.*, qui solus habet immortalitatem. Ita vero cæteræ res omnes a Deo accipiunt esse, ut nisi semper ab ipso dependeant, et ejus quodam influxu conserventur, continuo desinant esse, hinc idem Apostolus dicit: *Qui portat omnia verbo virtutis suæ*. Quia nisi a Deo sustentarentur res creatæ, utique non subsisterent.

Ergo, anima mea, suscipe et mirare bonitatem infinitam conditoris, qui res omnes tam amanter portat, et conservat, cum earum opera non indigeat: nec minus admire, et imitare patientiam ejusdem conditoris tui qui tam *Benignus est super ingratos et malos*, ut sustentet qui eum blasphemant, et conservet qui ad nihilum redigi digni essent: nec tibi grave videatur, si quando infirmitates fratrum portare, et iis, qui te oderunt, benefacere jubearis.

Sed non in hoc solum posita est eminentia fontis essendi, quod a nullo alio fonte accipit esse, et rebus cæteris ipse communicat esse. Nam aquæ fontium, et aquæ fluminum apud nos ejusdem generis sunt, et quamvis aquæ fontium, non ab aliis fontibus aquas accipiant, habent tamen causam sui esse, vapores videlicet, et illi alias et alias causas, donec ad primam causam, quæ Deus est, perveniatur. Deus autem conditor tuus, o anima, non est ejusdem generis cum rebus creatis, sed infinito intervallo dignitatis, et nobilitatis, et excellentiæ ab eis distat; et vere ac proprie fons est essendi, quia non solum non accipit esse suum ab alio fonte essendi, sed omnem omnino causam nescit, fons aquæ creatæ, ut dictum est, non ab alia aqua, sed ab alia causa derivatur: fons essendi increatus nihil ante se habet, a nulla re dependet, nulla re indiget, nihil ei nocere potest, sed omnia pendent ab illo, et ille potest *Res omnes creatas uno nutu delere*, ut fortissimus loquitur Macchabeus. Hanc eminentiam admirare, anima, hoc principium sine principio, causam sine causa, esse infi-

nitum, illimitatum, immensum, absolute necessarium, cum reliqua omnia hujus comparatione, contingentia sint. Ac fortasse de hoc Veritas dixit: *Porro unum est necessarium*, proinde huic uni adhaereas, illi soli servias, in illius solius amore et desiderio delecteris, cætera omnia illius comparatione despicias: aut certe non nimia sollicitudine tarberis circa multa, quando unum est necessarium, et solum tibi et hominibus sufficit, sed una tibi sollicitudo sit, ut ab illius gratia numquam excidas, et illi uni semper et ubique studeas complacere.

Jam vero Deus fons etiam vitæ rectissime dicitur, quia vivit, et vitam in semetipso habet, imo ipse vita æterna est. *Hoc est verus Deus, et vita æterna*, inquit S. Joannes, et res omnes, quæ vivunt, ab illo fonte accipiunt vitam, et illo cessante vitam subministrare, *Deficiant, et in pulverem suum revertantur*, ut canit S. Propheta David. Gignere sibi simile est viventium proprium. Gignit autem Deus Filium sibi simillimum, Deus Deum, et vivens viventem. *Et sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, ut testatur S. Joannes in Evangelio, habet autem Pater vitam in semetipso, quia est fons vitæ, et non aliunde accipit vitam: et dedit filio habere vitam in semetipso, quia dedit eandem vitam, quam ipse habet, ac per hoc etiam Filius est fons vitæ, sed fons vitæ de fonte vitæ, sicut Deus de Deo, et lumen de lumine. Quis explicet, imo quis capiat, qualis sit vita Dei, et qualis iste fons vitæ, unde guttulas hauriunt omnia quæ vivunt, sive in terra, sive in cælis? Vita nobis in hoc exilio nota nihil est aliud, nisi principium motus internum, illa enim dicuntur a nobis vivere, quæ aliquo modo seipsa movent, unde etiam per similitudinem dicuntur vulgo, aquæ vivæ, quæ sunt in fluminibus, et mortuæ, quæ ruunt in stagnis, quod illa videantur per se moveri, istæ moveri nequeant, nisi a ventis aut externa vi alia impellantur.

Deus tuus, o anima, verissime vivit, et auctor ac fons est vitæ. Ipse enim in Scripturis sanctis passim illud inculcat. *Vivo ego, dicit Dominus*. Et propheta, *Vivit Dominus, sæpe repetunt, et apud Jeremiam conquiritur de populo Deus dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et tamen neque a se, neque ab alio movetur. Ego Deus, inquit, et non motor, et alibi, Non est Deus ut Filius hominis, ut mutetur*. In hymno quoque Ecclesia-

stico canimus quotidie: « Rerum Deus tenax vigor, immotus in te permanens, lucis divinæ tempora successibus determinans. » Et si Deus gignit Filium sine mutatione gignit: et si videt, audit, loquitur, amat, miseretur, judicat, sive mutatione hæc omnia facit; et si res creat, et conservat, vel contra destruit, et dissipat, et rursus renovat, et mutat, ipse tamen quiescens operatur, et immotus mutat, quomodo ergo vivit, si non se movet? et quomodo non vivit, si fons est, et auctor vitæ? Hic nodus facile dissolvitur. Ad vitam enim illud absolute satis est, si res viva ex se agat, et non ab alio mota, sed vita ut plurimum in rebus creatis est principium infernum motus; quia res creatæ imperfectæ sunt, et multis indigent, ut actiones vitæ possint implere: Deus autem infinita perfectio est, et nulla re indiget extra se, propterea ex se quidem agit, et non motus ab alio, sed motu, vel mutatione opus non habet. Indigent res creatæ mutatione, ut generent, et generentur, quia generant extra se, et res quæ generatur mutari debet a non esse ad esse: Deus autem intra se gignit Filium et intra se produxit Spiritum sanctum, neque mutari debet Filius, aut Spiritus sanctus de non esse ad esse, quia illud esse recipiant, quod semper fuit, et illud non in tempore, sed in æternitate recipiunt. Indigent res creatæ motu augmentationis, quoniam imperfectæ nascuntur: Deus autem Filius perfectissimus nascitur, et Deus Spiritus imperfectissimus spiratur, atque producit. Indigent res creatæ motu alterationis, ut qualitates varias quibus opus habent, adipiscantur: Deus autem nulla re indiget, cum infinitæ perfectionis essentiam habeat. Indigent res creatæ motu ad locum, quia non sunt ubique; Deus autem ubique totus est, præterea res creatæ, ut videant, ut audiant, ut loquantur, ut operentur, multis rebus indigent, quia vitam quidem habent, sed imperfectam, et egenam: Deus autem nulla re indiget extra se, ut omnia videat, omnia exaudiat, omnibus loquatur, omnia et in omnibus operetur, quia non solum vitam habet, sed vitam opulentissimam, et felicissimam habet, et ipse vita est, et fons vitæ. Ac ut in actione videndi ponamus exemplum, homo ut videat, eget potentia visus, quæ distincta est ab anima, quæ proprie vivit: eget objecto, id est, corpore colorato extra se posito: eget lumine solis, aut alicujus alterius corporis luminosi: eget medio,

id est, corpore perspicuo: eget specie sensibili, quæ ab objecto ad oculos deferatur: eget organo corporali, id est, oculo variis humoribus, et tunicis carnis instructo: eget spiritibus sensitivis et nervis opticis, per quos spiritus illi transeant: eget distantia proportionata: eget applicatione potentia. Ecce quantis adminiculis indigent homines, et animalia cætera, ut actionem unam vitæ possint implere; deus autem, qui vere vitam totam habet in semetipso, nulla re indiget. Ipsa essentia infinita est illi potentia, objectum, species, lumen, et cætera omnia. Ex se, et per se, et in se Deum videt omnia quæ sunt, quæ fuerunt, quæ erunt; et quæ possent esse aperte cognoscit. Et antequam mundus fieret videbat Deus res omnes, neque aliud novi ex rerum creatione scientiæ, aut visioni illius accessit. Quid ergo eris, anima, quando illius vitæ particeps eris? quid magni imperat tibi Deus, cum vitam istam corporalem et animalem, imperfectam utique et egenam, imperat exponi pro fratribus, et pro ipso Deo, ut vitæ æternæ ditissimæ et felicissimæ particeps fias? Et si nihil magni jubet, cum vitam jubet contemni: quam leve et modicum videri debet, cum imperat divitiis mortuus liberaliter pauperibus erogare et a carnalibus concupiscentiis abstinere, et Diabolo ac pompis ejus vere renuntiare, et ad vitam illam, quæ sola vera vita est, toto cordis affectu aspirare?

Sed jam tempus est, ut ad fontem sapientiæ, quomodo possumus ascendamus. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*, inquit Ecclesiasticus et recte dixit, *In excelsis*; quoniam fons sapientiæ in Angelos sanctos, et animas Beatorum, qui in celestibus habitant, abundanter et copiose defluit, nobis autem, qui in deserta et peregrinatione versamur, non tam sapientiæ, quam sapientiæ quidam vapor, vel odor confingit.

Quare, anima mea, noli nunc altiora, quam te deceat, querere. Noli scrutari majestatem, ne opprimaris a gloria, admirare sapientiam illius, de qua dicit Apostolus: *Soli sapienti Deo, gratulare beatis illis mentibus, quæ de fonte sapientiæ bibunt, quamvis Deum non comprehendant, quod ipsi fonti sapientiæ proprium est*; tamen faciem Dei, id est, primæ causæ, sine ullo velamine speculantur, et fulgoribus ejus irradiatæ de omnibus rectissime judicant, neque in illa meridiana luce sapientiæ timent errorum tenebras, neque ignorantia obscuritatem,

neque opinionum caliginem. Aspira ad illam felicitatem, et ut ad eam secure pervenias, ama ex toto corde Dominum Jesum Christum, *In quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei.* Ipse enim dixit in Evangelio suo: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Et quid est, manifestabo ei meipsum, nisi manifestabo omnes thesauros scientiæ et sapientiæ Dei, quæ in me latent? Certo omnis homo naturaliter scire desiderat et quamvis carnales concupiscentiæ nunc in multis hoc desiderium quodammodo sapiant: tamen cum corpus, quod corrumpitur, et quod nunc aggravat animam, deposuerimus, tunc ignis desiderii hujus super omnia desideria effervescent. Quanta ergo felicitas tua erit, o anima, cum amatus et amator tuus Christus ostendet tibi omnes thesauros scientiæ et sapientiæ Dei? Sed ut spe tanta non frustreris, Christi præcepta custodire stude. Ipse enim dixit: *Qui diligit me, sermones meos servabit et qui non diligit me, sermones meos non servat.* Atque, interim sapientiæ tuæ sit illa, quam describit S. Job, cum dicit: *Timor Domini ipsa est sapientiæ, et recedere a malo, intelligentia.* Et quicquid boni in creaturis videris, scito illud a Deo fonte totius bonitatis defluere, ut sic cum B. Francisco discas fontalem bonitatem in singulis creaturis, tamquam in rivulis degustare. De qua re lege S. Bonaventuram in vita S. Francisci.

#### GRADUS QUINTUS.

##### *Ex consideratione aeris.*

Aeris elementum insignis magister morum esse potest hominibus, si ejus natura consideretur. Nec solum ad morale philosophiam docendam, sed etiam ad sacræ theologiæ aperienda mysteria, animosque ad Deum levandos aptissimus invenitur si quis attendere voluerit ad varia commoda, quæ aer humano generi, ex divina ordinatione, præstare non cessat.

Aer imprimis, dum respirationi deservit, terrestrium animantium et ipsius hominis vitam conservat. Deinde oculorum, aurium, et linguæ usui usque adeo necessarius est, ut si is forte subtrahatur, etiamsi cætera adsint omnia, continuo cæci, surdi, ac muti omnes efficiantur. Denique tanta est necessitas aeris ad motum hominum, et animalium

cæterorum, ut eo remoto, motus omnis impediatur, atque omnes artes et omnia fere hominum opera cessare necesse sit. Incipiamus a primo.

Si intelligerent homines, non minus egero animas respiratione sua, quam egeant corpora sua, multi salvarentur, qui nunc pereunt. Eget corpus continua respiratione, quoniam calor naturalis, quo cor exæstat ministerio pulmonis aerem frigidum attrahentis, et calidum ejicientis, ita temperatur, ut vitam conservet; sine qua respiratione conservari non potest, ex quo usu receptum est, ut pro eodem accipiantur vivere, et spirare. Omnis enim, qui spirat, vivit, et qui spirare desinit, vivere etiam desinit. Et tu anima, ut vivas vita spirituali, quæ est gratia Dei, indiges continua respiratione, quæ fit emittendo ad Deum per orationem calida suspiria, et recipiendo a Deo novam Spiritus sancti gratiam. Et quid aliud significant verba illa Domini tui: *Oportet semper orare, et nunquam desicere?* nisi oportet semper suspirare, et spiritum novum recipere, ut spiritualis vita in te non extinguatur, quod idem repetit, cum ait: *Vigilate itaque, omni tempore orantes.* Et Apostolus idem confirmat, dicens: *Sine intermissione orate,* cui consonat Apostolus Petrus cum scribit: *Estote ergo prudentes,* et: *Vigilate in orationibus.* Siquidem hæc est vera prudentia, ut qui omni tempore egeamus adjutorio Dei, omni tempore illud petamus. Scit quidem Pater noster, quibus rebus indigemus, et paratus est liberaliter ea suppeditare, ac præsertim, quæ ad salutem æternam pertinent: sed vult per orationis instrumentum ea largiri, quoniam hoc est illi honorificentius, et nobis utilius, quam si dormientibus, et nihil agentibus cuncta donaret. Itaque liberalissimus Dominus ad petendum nos hortatur et urget, cum dicit: *Ego dico vobis: Petite et dabitur vobis, querite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui querit, invenit, et qui petit accipit, et pulsanti aperietur.* Et quid sit illud, quod petendum est præcipue, et quod sine dubitatione donabitur, explicat paulo post dicens: *Si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris quanto magis Pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se?* Hoc igitur est imprimis assidueque petendum et hoc nobis sine dubitatione donabitur si bene petatur; spiritus bonus videlicet, per quem respiremus in Deo, et spirituales vitam respirando serve-

mus: quod S. David faciebat, qui in Psalmo dicit: *Os meum aperui et attraxi spiritum,* id est, os meum aperui desiderando, suspirando, postulando gemitibus inenarrabilibus, et attraxi auram suavissimam spiritus Dei, quæ æstus concupiscentiæ refrigeravit, neque in omni bono opere confirmavit. Quæ cum ita sint, quis dicit, eos vivere secundum Deum qui dies integros, vel etiam menses et annos non suspirant ad Deum, nec respirant in Deum? signum enim mortis evidens est non spirare, et si spirare est orare, signum mortis erit, non orare. Vita spiritualis, per quam filii Dei sumus, in caritate sita est. *Videte,* inquit S. Joannes in epistola sua, *qualem charitatem dederit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* At quis amat et non desiderat videre quem amat? quis desiderat, et non petit quod cupit ab eo, quem scit daturum, si petatur? Ergo qui non orat assidue, ut videat faciem Dei sui, non desiderat eum videre, qui non desiderat, non amat: qui non amat, non vivit; quid ergo sequitur, nisi ut judicemus mortuos esse Deo, quavis mundo vivat, qui serio in studium orationis non incumbunt? Neque vero orare, ac per hoc spirare et vivere dicendus est, qui sola voce corporis preces fundit, oratio enim definitur a sapientibus, non elevato vocis in aerem, sed elevatio mentis in Deum.

Ergo, anima mea, noli te fallere, ut putes te vivere Deo, si non serio Deum ex toto corde quæris eique suspiras diebus, ac noctibus, noli dicere, per alias occupationes tibi non licere, colloquiis divinis et orationi vacare. Sancti enim Apostoli occupatissimi erant, et quidem in opere Dei, et salute animarum, ita ut unus eorum diceret: *Præterea, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Et tamen hic ipse, præter frequentissimam orationum suarum commemorationem, scribit ad Philippenses: *Conversatio nostra in caelis est, quia videlicet, in mediis etiam occupationibus, in celo per desiderium versabatur, neque unquam dilecti sui obliviscebatur, atque non diceret: Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus.*

Alterâ proprietate aeris est, ut sit medium, per quod ad oculos nostros perveniant species colorum, et ad aures species sonituum, sine quibus nec videre, nec audire, nec

etiam loqui possemus. In qua re primum Deo gratias agere debemus, quod tam insigni beneficio naturam nostram ornare voluerit. Deinde admirari nos decet conditoris nostri sapientiam in opere tantæ subtilitatis, et tenuitatis, ut cum sit aer verum corpus, et tantum ut repleat spatium pene immensum, tamen nec videatur, nec sentiatur ob incredibilem tenuitatem. Mirata est antiquitas subtilitatem unius lineæ, quam pennicillo duxerat Appelles, sed ea linea et videbatur, et tangebatur, ac per hoc nullo modo comparari poterat cum tenuitate hujus subtilissimi veli, quod omnes ambit, et contingit et a nullo cernitur propter subtilitatem eximiam. Sed admirationem auget, quod cum sit aer subtilitatis et tenuissimum corpus, tamen cum scinditur summa facilitate iterum conjungitur, et continuatur ac si scissum nunquam fuisset. Certe disruptam telam araneorum, vel scissum subtilissimum velum nullus artifex ita resarcire potest, ut prior scissura non appareat. Adde, quod est omni admiratione dignissimum, et solius Dei sapientiæ proprium, quod per eandem partem aeris impermixte et simul transeunt innumerabiles colorum species. Qui sub noctem lucente luna in loco aperto e edito positus, stellas in celo, et campos in terris, floribus plenos, et simul domos, arbores, animantia, et alia id genus multa conspiciat, negare non poterit, rerum illarum omnium species in aërem illo sibi propinquo simul contineri, et impermixtas contineri. At quis hoc intelligat? quis capiat? quomodo enim fieri potest, ut res tenuissima tantam formarum varietatem simul contineat? Et quid si eodem tempore et loco resonent cantus avium ab una parte, et ab alia varia musica instrumenta et ab alia quoque murmur cadentium aquarum, nonne simul in eodem aere necesse erit recipi cum tot formis colorum, etiam illos omnes sonos, aut omnes eorum sonorum species; quis hæc facit, anima mea, nisi conditor tuus, qui facit mirabilia magna solus? Et si tam mirabilia sunt opera ejus, quanto admirabilior erit ipse? Sed est et alia utilitas hujus admirandæ tenuitatis in aere, quod non impedit, sed juvat motum omnium rerum, quæ de loco ad locum transeunt. Novimus omnes quanto labore trahuntur naves per aquas, quamvis et ipsæ liquide sint, et facile scindantur, nam nec venti, nec remi aliquando sufficiunt, sed oportet vires equo-

rum et bubalorum sæpenuerò adhibere. Et si forte per montes, aut colles aperienda via sit, quantis sudoribus, et quam longo tempore via, quamvis brevissima, aperitur? At per aerem nullo labore, summa facilitate et maxima celeritate currunt equi, volant aves, fela et missilia jactantur: homines vero ab varia exerecnda ministeria, ascendunt, descendunt, deambulant, discurrunt, movent pedes, brachia, manus, sursum, deorsum, a dextris, et sinistris; nec magis impedit eos aer ubique diffusus, quam si non corporalis, sed spiritualis nature, aut penitus nihil esset.

Accedit postremo, quod aeris natura ita cedit omnibus, et in omnem formam se mutat, et scindi ac dirumpi se patitur, ut hominum utilitati deserviat, ut videatur datus hominibus in magistrum humilitatis, et patientiæ, et caritatis. Sed quod in te, anima mea, amorem creatoris tui excitare et accendere vehementer debet, illud est, quod hic idem ipse aer suavitatem incredibilem, et benignitatem maximam conditoris sui hominibus representat. Collige, quæso te, anima, et attentissime cogita, Dominum tuum omnibus creaturis suis semper adesse cum omnibus semper operari, et quod est infinite suavitatis ad singularem naturam cooperationem suam accommodare; quasi cum Apostolo suo dicat: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes adjurem, et perficiam*, cum agentibus necessariis cooperatur, ut necessario agant; cum voluntariis, ut voluntarie; cum liberis, ut libere. Ignem ita movet, et juvat, ut ascendat sursum; terram ut tendat deorsum; aquam ut labatur per loca declivia; aerem, ut transeat quocumque pellitur; stellas ut in circulum versentur perpetuo; herbas, frutices, plantas, ut fructus secundum naturam suam proferant; animantia terrestria, aquatilia, volatilia, ut ea faciant, quæ natura eorum postulat. Et si suavis Dei sic eminet in cooperatione cum creaturis suis in operibus nature, quid fieri putamus in operibus gratiæ? Attribuit quidem Deus homini liberum voluntatis arbitrium, sic tamen ut eum regeret imperio, terret exitio, alliceret beneficio. Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed ita vult, ut velit etiam eos velle, et ideo ita suaviter eos prevenit, et excitat et ducit, et perducit, ut prorsus admirabile sit. Istæ sunt adinventiones sapientiæ Dei, de quibus dicit Isaias: *Notas facite in populis adinventiones ejus.*

Et quidem homines impios nunc vehementer exteret, nunc amanter exhortatur, nunc clementer admonet, nunc misericorditer corripit, prout eorum ingenio et moribus judicat expedire. Audi quam mansuete cum primo peccatore Dominus egerit. *Adam, inquit, ubi es?* et respondenti illi: *Vocem tuam audivi in Paradiso, et timui, et quod nudus essem, et abscondi me;* adjecit Dominus pari mansuetudine: *Quis enim indicavit tibi quod nudus esset, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* et hac pia correptione admonitus Adam sine dubitatione respicit, dicente Scriptura: *Hæc (sapientia Dei videlicet) illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, custodivit, et educit illum a delicto suo.* Audi rursum, quam mansuete et suaviter per Angelum suum corripuerit, atque ad penitentiam provocaverit omnes filios Israel: *Ascendit, inquit Scriptura, Angelus Domini de Galyatis ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum, in sempiternum: ita dumtaxat ut non fereritis fœdus cum habitatoribus terre hujus, sed aras eorum subverteretis, et nobis audire vocem meam, cur hoc fecistis? cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevarunt ipsi vocem suam, et flevierunt. Et vocatum est nomen loci illius, Locus flentium, sive lacrymarum, immolaveruntque ibi hostias Domino.* Fuisse autem illum fletum maximum, et universalem, ac veræ poenitentiae signum, testatur novum nomen ei loco impositum, ad memoriam posteritatis æternam, ut videlicet diceretur locus ille, Locus flentium, sive lacrymarum. Quid jam de Prophetis dicam? illi certe in omnibus sermionibus suis hoc docent, hoc clamant, Deum non velle mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant. *Vulgo dicitur, ait Dominus per Jeremiam, si dimiserit vir uxorem suam et recessit ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego recipiam te. Et per Ezechielem: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, conver-*

*timini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?* Sed omissis impiis, quanta sit benignitas et suavis pluraquam paterna et materna Domini Dei nostri in eos, qui timent eum, et sperant in eo, explicari nullo modo potest. David in Psalmis: *Secundum altitudinem, inquit, celi a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se, et infra: Quomodo miseretur Pater filiorum, miseretur est Dominus timentis se, et infra: Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes se?* Et alibi: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo, et rursum: Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt cordo?* id est, quis explicet, quanta sit bonitas, suavis, dulcedo Domini erga animas piæ, et justas? Per Isaiam quoque ait Dominus: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miseretur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tu. Et Jeremias in Trenis: Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus, sperantibus in eum, anima querenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

Quod si jam addere vellem, quæ prædicant Apostoli in Epistolis suis de paternis visceribus Domini Dei nostri in homines piæ, nullus finis inveniretur. Sit omnium loco, quod scripsit Apostolus Paulus initio posterioris epistolæ ad Corinthios: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Non dicit, Deum esse consolatorem, sed totius consolationis plenissimum, nec dicit, qui consolatur nos in aliqua tribulatione, sed in omni: nec, ut possimus consolari eos, qui in aliqua, sed qui in omni tribulatione sunt. Itaque non potuit magis amplificare, quam suavis et dulcis sit Deus erga eos, quos diligit, et a quibus diligitur.

Sed præstat ad finem adscribere verba Sancti Prosperi, quibus explicat benignitatem Dei, non solum erga bonos, sed etiam erga malos, ut eos efficiat bonos. « Gratia, inquit, omnibus justificationibus principaliter præminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas humana subjungitur ei, atque conjungitur.

quæ ad hoc prædictis est excitata præsidis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opulentiæ si proficit. Quæ opulentiæ per innumeratos modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur: et quod amulitis refutatur, ipsorum et nequitia: quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divini, et voluntatis humanæ. » Hæc ille.

Eid nunc, anima mea, si conditor tuus erga servos suos tam est suavis, et mitis, tam incredibili benignitate peccatores tolerat, ut convertat; et justos consolatur, ut magis in justitia et sanctitate proficiant: an non deberes et tu proximos tuos benigne tolerare, et omnibus omnia fieri, ut omnes Deo ac Domino tuo lucrifaceres? cogita tecum ad quam sublimem excellentiam Apostolus te hortatur, cum dicit: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulat in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Imitare Deum Patrem, Qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos. Imitare Deum Filium, qui natura humana pro nobis assumpta vitæ propriæ non pepercit, ut nos eriperet de potestate tenebrarum, et de interitu sempiterno. Imitare Deum Spiritum sanctum, qui dona illa sua pretiosissima copiose diffundit, ut spirituales nos de carnalibus efficiat.*

#### GRADUS SEXTUS.

##### *Ex consideratione ignis.*

Ignis elementum est usque adeo purum, et nobile, ut Deus ipse ignis appellari voluerit, dicente Mose, et Paulo: *Deus noster ignis consumens est.* Et cum primum apparuit Mosi Deus, in igne rubum occupante, et non consumente conspicui voluit. *Apparuit Dominus, inquit Moses, in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur.* Et cum legem populo daturus idem Deus advenit, in ignis forma advenit, sic enim loquitur idem Moses: *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Ad cujus mysterii similitudinem, cum lex nova promulganda esset, apparuit Spiritus sanctus Aposolis in linguis igneis. Denique qui Deo proximi sunt in cælo, Seraphim, hoc est, igniti, dicuntur, quo-

niam ab igne illo divino, et ardentissimo, præter cæteros Angelos, fervorem ardoremque concipiunt. Quæ cum ita sint, non est difficile, ex elemento ignis, sive natura, et proprietatibus gradum nobis conficere, per quem ad Deum meditando et orando ascendamus, minus certe difficile erit cum Elia in curru igneo sursum ascendere, quam ex terra, vel aqua, vel aere scalam conficere.

Acedamus ergo ad proprietates ignis considerandas. Ignis ejus est nature, ut in rebus diversis diverso ac sæpe contrario modo operetur, ligna, fœnum, stipulas continuo absumit: aurum, argentum, lapides preciosos, puriora et pulchriora reddit. Ferrum, quod natura sua nigrum, frigidum durum, et grave est, ignis in contrarias qualitates ita transmutat, ut continuo lucidum, calidum, molle, et leve reddatur; imo ut stella fulgeat, ut ignis comburat, ut aqua liqueat, ut res levis a fabro ferrario moveri atq; tollique facillime possit.

Hæc omnia satis aperte in Deum conveniunt, ac primum ligna, fœnum, stipulæ ex Apostolo opera mala significant, quæ ignem divini judicii ferre non possunt, et sane incredibile est, quam vehementer Deo, qui ignis purissimus est, omnia peccata displiceant; et quanto zelo illa consumat, et destruat, si per pœnitentiam destrui possunt, id est, si is, qui peccavit, in eo statu est, ut pœnitentiam agere possit, per pœnitentiam enim omnia peccata solvuntur: sed si peccator pœnitentiæ capax non sit, ut sunt dæmones, et homines post hanc vitam, in ipsos impios divina ira convertitur. *Odio est enim Deo impius, et impietas ejus*, ait Sapiens. Quantum vero, et quam vehemens hoc odium sit, testis est Diabolus, qui semel peccavit, et cum esset Angelus nobilissimus, et (teste S. Gregorio) princeps primi ordinis Angelorum, ac præstantissima creaturarum Dei, tamen continuo fuit de cælo dejectus, atque omni decore et gratia supernaturali spoliatus, et in monstrum deformissimum commutatus, et sempiterno exilio mancipatus. Testis est Christus, qui de cælo descendit, ut dissolveret opera Diaboli, id est, peccata, et ideo Agnus Dei dictus est, qui tollit peccata mundi, Christus autem, ut opera Diaboli destrueret, et justitiæ Dei perfecte satisfaceret, quis explicare, vel quis cogitare sufficiat, quanta pertulerit? *Cum in forma Dei esset, formam servi suscepit: egenus propter nos factus est, cum esset dives*, non habuit ubi caput reclin-

naret, cum cælum et terram ipse fecisset: *In propria venit, et sui cum non receperunt; cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; cuius livore sanati sumus*. Denique illusus, consputus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus cum ignominia maxima, et dolore gravissimo, sanguinem totum vitamque profudit, atque hæc omnia pertulit, ut dissolveret opera Diaboli, et peccata nostra deleteret. Testis lex Dei, quæ omne peccatum prohibet, et punit. Et ipsum etiam verbum otiosum impunitum non relinquit. Et quantum odit flagitia, et facinora, qui verbum otiosum ferre non potest? Lex Domini immaculata, et præceptum Domini lucidum, maculas et tenebras aversantur, neque esse potest communio lucis ad tenebras, neque justitiæ ad iniquitatem. Testis est denique ipsa gehenna, quam Deus paravit impiis, et peccatoribus, qui sanguine Agni immaculati, cum potuerunt lavari, noluerunt, aut neglexerunt, iustum est enim, ut in quibus peccatum æternum erit, sic etiam supplicium sempiternum, qualis autem, et quanta sit poena gehennæ, horror est vel cogitare, de qua re plura dicemus in ultimo gradu.

Ergo, anima mea, cum tam ingens odium Dei sit contra peccatum, si amas Deum super omnia, debes, etiam super omnia odisse peccatum, cave ne te fallant, qui peccata extenuant, vel excusant. Vide ne te ipse rationibus falsis decipias: si peccatum tibi in te, vel in aliis non displicet, Deum non amas, si Deum non amas, periisti. Iterum, si Christo non es ingrata, quantum debere te putas charitati ejus? laboribus ejus? sanguini et morti ejus? qui a peccato te lavit, et Patri reconciliavit, et grave tibi erit deinceps pro Christo aliquid pati, vel in ejus gratiam, et cum ejus gratia usque ad sanguinem peccato resistere? Denique si gehennam ignis æterni patienter ferre non potest, certe debes omnino nec patienter ferre peccatum: sed sicut a facie colubri, sic ab illo, et ejus occurso, ac suspitione, etiam levissima declinare, sit igitur apud te firmum, et ratum, peccati odium maximum cum maximo Dei amore conjungere.

Jam vero idem ignis non destruit, sed perficit, et magis rutilare facit aurum, argen-

tum, lapides preciosos: quoniam (ut idem Apostolus ibidem explicat) ista metalla significant opera bona et perfecta, quæ igne divini judicii approbantur, et mercedem magnam accipiunt. *Ista opera Deus probat, quia sunt munera sua, et « Cum coronat merita nostra, inquit S. Augustinus, coronat munera sua »*. Facta sunt enim ipso mandante, ipso juvante, ipso virtutem faciendi largiente, et ipsa per legem quam dedit, et per regulas quas constituit, dirigente. Et quidem aurum opera charitatis designat: quo modo autem possunt charitatis opera Deo non valde placere, cum ipse Deus charitas sit? Argentum designat opera sapientiæ, eorum videlicet, qui ad justitiam erudiunt multos; et ipsa quoque Deo valde probantur, et placent, dicente Sapientia Dei: *Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum*. Lapidis pretiosi, sunt opera continentis animæ, de quibus dicit Ecclesiasticus: *Omnia ponderatio, non est digna continentis animæ*, atque ea causa est, cur in officio Ecclesiastico in laudem sanctarum Virginum legatur Evangelium de inventa una pretiosa margarita. Quam autem placeat Deo puritas virginialis, intelligi potest ex Isaia Propheta, qui nomine Dei prædicit eunuchis, illis videlicet, qui se castraverunt propter regnum celorum, *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*. Quem locum S. Augustinus in libro de sancta Virginitate, de sanctis Virginitibus, tam masculis, quam feminis intelligendum esse magnifica oratione demonstrat. Atque ista tria sunt opera, quibus ex consensu Doctorum debentur aureolæ in regno celorum, dantur enim aureolæ, id est, certa præmia præter vitam æternam, Martyribus, Doctoribus, et Virginitibus, Martyribus quidem ob excellentiam charitatis, quia *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Doctoribus ob eminentiam sapientiæ, de quibus dicit Daniel: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stelle in perpetuas æternitates*. Virginitibus ob pretium incomparabile puritatis, cujus gratia visæ sunt Virgines in Apocalypsi cantare canticum novum, quod nemo alius dicere poterat. *Hi sunt, inquit Joannes, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque iterit*.

Neque tamen sola charitas Martyrum, vel sapientia Doctorum, vel puritas Virginum

probabitur igne divini judicii, et mercedem plenam accipiet: sed etiam alia quæcumque opera bona, modo in charitate sint facta, inter aurea vasa computabuntur, et ignem illum divinum sustinebuntur, et præmium suum accipient. Illis enim in Judicio extremo Dominus dicit: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi*, qui tamen esurienti, et potum sitienti, et hospitium peregrino, et vestem nudo, et consolationem ægroto, vel in carcere constituto præbuerunt. Et idem etiam Dominus promisit, non privandum esse mercede sua, qui calicem aquæ frigide tantum in nomine discipuli ex charitate donaverit.

Intelligisne, anima, quantum intersit inter opera, et opera? et quid stultius et miserius, quam in eo loco et tempore, in quo potes, si sapis, facili negotio aurum, et argentum, et lapides preciosos comparare, tu malis non parvo labore ligna arida, et fœnum, stipulasque colligere? Utinam saperes, et intelligeres, ac novissimæ provideres cum in novissimo tempore, omnia hæc divini judicii igne examinanda et probanda sint, et illa priora laudanda, et coronanda, hæc posteriora cremanda, et in favillas et fumum redigenda. Cur nunc eligis, quod te elegeris certissime pœnitit? Et cur non damnas nunc, quando utiliter potest, id quod paulo post sine ulla utilitate damnabis? Et si forte nunc ista non vides, et velamen rerum præsentium oculos tuos impedit, ne puram et liquidam aspicias veritatem, ora Deum, et non parvo affectu, cum cæco illo de Evangelio, dicas Domino: *Domine, da ut videam, vel cum Propheta: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*, nam certe mirabile omnino est, quod opera, quæ in charitate fiunt, aurum, argentum, et lapides pretiosi efficiantur; quæ vero in charitate non fiunt, in ligna arida, et fœnum, et stipulas convertantur.

Veniamus nunc ad considerandam alteram ignis proprietatem. Hactenus enim ab igne didicimus, quid operetur Deus, in iis, qui cum operibus malis de hac vita decedunt, vel cum operibus bonis ad finem vite perveniunt. Nunc per aliam similitudinem ab eodem igne petitam, intelligere nobis licebit quid operetur Deus cum iis, quos a peccatis ad penitentiam vocat.

Homo peccator similis est ferro, quod dum procul abest ab igne, nigrum, frigidum,

durum, et grave est : sed si forte in ignem mittatur, efficitur lucidum, calidum, molle, et leve. Omnis peccator lumine inferiore caret, et in tenebris ambulat, ac per hoc ferri nigredinem imitatur, quamvis enim in scientiis, et commerciis humanis non solum ingenio, sed etiam iudicio pollere videatur : tamen in vero bono, et malo dijudicando caecus est, et omni caeco miserior. Caecus enim nihil videt, et ideo sine duce non movetur : at peccator putat se videre, quod non videt, vel unum pro altero videt, et iudicat bonum malum, et malum bonum, magnum parvum, et parvum magnum, longum breve, et breve longum : et ea de causa in eligendo perpetuo fallitur. Hoc est, quod Apostolus dicit de gentilibus idololatriis : *Tenebris obscuratum habentes intellectum per ignorantiam, quae est in illis; propter caecitatem cordis ipsorum.* Hoc est, quod ipse Dominus in Evangelio tam saepe Scribis et Pharisaeis reprobrat, quod caeci essent, et duces caecorum. Hoc est quod Propheta Isaïas Iudeis sui temporis dicit : *Surdi audite, et caeci intuemini ad videndum.* Et quibus praedicat Christum venturum, qui aperiret oculos caecorum, et loquens de Testamento novo in persona Dei adjungit : *Et ducam caecos in viam, quam nesciunt, et in semitas, quas ignoraverunt, ponam tenebras eorum in lucem, et praeva in recta.* Denique nonne hoc fatebuntur impii post hanc vitam, quando coeperit poena oculos mentis aperire, quos culpa clauserat. Ergo, inquit, erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Neque mirum est, quod caeci sint, qui a Deo voluntate et animo sunt aversi. *Deus enim, lux est, et tenebrae in eo non sunt ultra.* Ex quo concludit idem Apostolus : *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et paulo post : Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit, quo eat, quia tenebrae obcecaverunt oculos ejus.*

Neque sola causa caecitatis in peccatoribus est, quod a Deo, qui lux est, aversi sunt, sed etiam, quia *excceavit eos malitia eorum* ut Sapiens loquitur : *passiones enim animi, amor, et odium, ira, invidentia, et alia, quae sub nomine malitiae comprehenduntur, ita excceant animam, ut verum cerni non possunt, sed sunt veluti perspicilla colorata, quae alba representant, ut rubra, vel perspicilla ita composita, ut ex rebus parvis res*

magnas efficiant, vel contra ex magnis parvas : aut ex valde distantibus, propinquis, vel distantibus ex propinquis. Qui vehementer amat, rem quam amat, pulcherrimam, utilissimam, optimam, imo etiam necessariam sibi esse iudicat, ac per hoc, omnibus aliis neglectis, et perditis comparandam. Contra qui rem eandem vehementer odit, deformem, inutilem, malam, imo etiam perniciosam sibi rem illam esse censet, ac per hoc etiam cum iactura omnium rerum penitus repellendam. Sed si ferrum istud nigrum et tetrum admoveatur ad ignem, id est si peccator a peccato averti, et ad Deum converti incipiat, juxta illud Propheta : *Accedite ad eum et illuminamini,* paulatim incipit illustrari et rei veritatem perspicuum, in lumine illo videre, juxta illud ejusdem Propheta : *In lumine tuo videbimus lumen.* Et tunc demum fracto perspicillo colorato passionum, et assumpto crystalino, quod est charitas pura, res aeternas iudicat magnas, et temporales exiguas, ac pene nullas, ut vera sunt, et omnem speciem ac pulchritudinem creatam cum luce sapientiae, et veritatis, quae in Deo, et Deus est, nullo modo comparandam esse clarissime perspicit. Itaque cum S. Augustino exclamat : *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, et tam nova, sero te amavi.* Et quoniam Christus dicit : *Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos,* iste illuminatus, et lumine veritatis liberatus a compedibus concupiscentiae, avaritiae, ambitionis et passionum reliquarum, exultat cum Propheta, et dicit : *Dirupisti, Domene, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.*

Jam vero ignis, ferrum non solum efficit lucidum ex obscuro, sed etiam calidum ex frigido, nec tantum calidum, sed ita fervens et ardens, ut ignis ipse esse videatur. Magnus Dominus et magnus virtus ejus, qui hominem natura frigidum, atque omnia timentem et paventem, qui nec loqui, nec se prodere nec rem ullam paulo difficiliorem tantare audeat : statim ac igne charitatis accendit, efficit audaciorem leone, qui et virgula omnes terreat, et bellando omnes vincat, cui nihil difficile, nihil arduum videatur; et cum Apostolo Paulo isto igne vehementer accenso dicit : *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Sed per partes de ista efficacia ignis dicamus ac primum de efficacia verborum, deinde de efficacia factorum breviter disse-

ramus. Multi sunt hodie, ac semper fuerunt in Ecclesia verbi Dei praedicatores, quae causa est cur ad tot virorum exhortationes, et clamores tam pauci converlantur? certe in magnis urbibus quotidie per Quadragesimam viginti, aut triginta, aut etiam quadragesima oratores declamant : et tamen exacta Quadragesima, nulla fere mutatio in moribus civitatis apparet, eadem vitia, eadem peccata, eadem frigiditas, eadem dissolutio cernitur. Ego nullam inverio causam, nisi quia ut plurimum conciones eruditae, et elegantes et floridae funduntur, sed deest anima, deest vita, deest ignis, breviter magna illa charitas deest, quae sola potest verba dicentium animare, et accendere, et corda audientium inflammare et commutare. Neque hoc dico quasi desit multis praedicatoribus contentio vocis, et motus totius corporis : nam etiam bombardae sine pila ferrea, vel lapidea magnum sonitum edunt, sed absque fructu : quod desideratur hoc est, ut praese ferant magnum affectum erga Deum, et animarum salutem, eumque non simulat, sed verum non exortum, sed quasi naturaliter ex fonte cordis manantem. Sanctus Petrus artem dicendi non moverat, solius naviculae regendae, reliumque reficiendorum et jaciendorum, peritus erat : sed ubi Spiritus sanctus in linguis igneis super eum descendit, et charitate ardentissima illum replevit, coepit continuo in media urbe Hierosolyma, ita potenter, ita ardentem, ita efficaciter loqui ut uno sermone multa hominum millia ad poenitentiam fidemque converteret. Neque tamen legitur in concionibus suis magna vociferatione usus, aut totius corporis commotione fatigatus. Deus, Francisco refert S. Bonaventura, eum nec valde eruditum fuisse, neque Rethoricae operam dedisse, et tamen cum ad populum conciones haberet, audiri solitum ut Angelum de caelo. Erat enim, inquit, verbum ejus, velut ignis ardens, penetrans intima cordis, et ut narratur in chronicis ord. Minorum, cum aliquando post prandium ex improvise paucis verbis ad populum loentus esset, tanta facta est in toto populo commotio ad poenitentiam, ut videretur illa dies ipsa feria sexta Parasceves Domini fuisse. Unde ex paucis verbis tanta commotio? tantus fructus? ex eo videlicet, quod sanctus ille concionator esset quasi carbo ignitus, et verbum ejus ut facula ardens, ut de Elia scriptum reliquit Ecclesiasticus. Habemus scriptos ser-

mones S. Vincentii, S. Bernardini, et aliorum quorundam sanctorum, quos vix dignantur aliqui legere, ob nimiam, quae in ipsis cernitur, verborum simplicitatem : et scimus tamen ab illorum concionibus multa hominum millia ad Deum fuisse conversa, et ipsos incredibili concursu et attentione fuisse semper auditos, quia videlicet verba illa simplicitate a pectoribus ignitis et scintillantibus prodibant. Porro ignis iste divinus efficacitatem suam, non minus in factis, quam in verbis ostendit. Decrevit Deus per Apostolum Petrum Romanam urbem caput imperii, et dominam gentium sibi subjicere : decrevit quoque Apostolos ceteros alios ad Aethiops, alios ad Indos, alios ad Scythas, alios ad ultimos Britannos mittere, ac per eos idola mundi destruere, trophaeum Crucis erigere, leges et ritus mutare, diaboli tyrannidem evertere. Si quis ista praedixisset Apostolis quando piscabantur in lacu Genesareth, aut quando in passione Domini latibula quaeritabant, visa fuissent veluti somnia, vel aniles fabulae : et tamen paulo post facta sunt omnia, et non aliis viribus, quam viribus ardentissimae charitatis, quam in eorum cordibus Spiritus sanctus accendit. *Charitas enim foras mittit timorem : omnia suffert, omnia sperat.* Omnia sibi possibilia dicit, et cum Apostolo clamat : *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ita videmus horum hominum, sola charitate armatorum, opera et labore brevi eversam fuisse in toto orbe terrarum idololatriam, fundatas ubique Christi Ecclesias, et erectum Crucis trophaeum in universis regnis, idque sine exercitu militum, et sine ullo bellico apparatu.

Porro ignis etiam illud proprium habet, ut ferrum ex duro efficiat molle, ut facile attenuari atque extendi in laminas, et ad omnes figuras ab artifice accommodari possit. Magna est efficacia ignis in ferrum, sed longe major est virtus Dei nostri in pectora obstinata, et obdurala mortalium. Audi S. Bernardum in libro de Consideratione. « Solum, inquit, est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid ergo cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate molliitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur : ingratum est ad beneficia, ad consilia indurum; et infra : « Ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. » Quae omnia esse verissima, testis est Pharaon, qui quo magis a Deo flagellabatur, tanto

magis indurabatur, et quo major elucebat Dei clementia in admovento flagello, eo magis ipse ad Deum spernendum et contemnendum animabatur. Sed si quando placuerit Domino scintillam ignis veri sui amoris in corde quantumvis duro succedere, continuo mollescet, et instar cere liquescet, neque illius virtuti ulla obstinatio diuturna, vel dura resistet, sed fiet continuo cor carneum, quod fuerat lapideum, et ex congelatis nivibus flante spiritu Domini, fluent aque. Exemplum habemus in Evangelio de muliere illa, quae erat in civitate peccatrix, quam nec monita fratris, nec sororis oburgatio, nec honor familia, nec proprium dedecus movere potuerant, ut a peccando desisteret, et unus tamen Christi radius in cor ejus penetrans, ibique scintillam divini amoris accendens, ita subito eam transformavit in aliam, ut non eruberit femina nobilis in loco publici convivii ad Christi pedes accedere, et tota versa in lacrymas, ex ipsis lacrymis balneum Christi pedibus facere, et propriis capillis, vice lintei pedes eodem abstergere, et illos pedes ex amoris vehementia identidem osculari, et unguento pretiosissimo et odorato perungere, ut se et sua omnia Christi obsequio dedicare velle deinceps significaret. Haec meruit vocem illam Domini audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Sed libet aliud quoque exemplum multo recentius in medium afferre. Gulielmus dux Aquitaniae temporibus S. Bernardi, fuit, si quis aliud in tuendo Anacleto schismatico Pontifice, et Innocentio legitimo oppugnando obstinatus, et pertinax, exturbaverat ex ditione sua Episcopos Catholicos omnes, et iurejurando sese obstrinxerat, nunquam pacem cum illis se habiturum, et quia noverant omnes obduratum cor ejus ad malum, et ferociam ad superbiam hominis verebantur, nemo erat, qui eum admonere auderet. Placuit Domino per servum suum Bernardum, cor hujus obdurati hominis visitare, et scintillam non parvam divini amoris in pectore ipsius accendere, continuo ex leone agnus, ex superbo humilis, ex pertinace obedientissimus factus est, ad unum S. Bernardi verbum, Episcopum Pictaviensem amice complexus in sedem suam manu sua reposuit, et quod omnem admirationem superare videtur, cum quaesivisset a quodam Eremita remedium animae suae ob admissa peccata, et ille jusset ut loricae cereum super nudam car-

nem indueret, et clavis ita claudi sineret, ut nunquam illam exuere posset, continuo paruit, et missus ab Eremita ad summum Pontificem pro absolutione recipienda dicto obediit, et cum summus Pontifex suspicaretur, eum non ex corde penituisse, vel patientiam ejus experiri vellet, jussit eum usque ad Hierosolimam peregrinari, et a Patriarcha ejus civitatis absolutionem petere. Gulielmus mox iter arripuit, et mandatum Pontificis adimplevit, denique cum ex potentissimo Principe humilis Monachus esset effectus, vix ullus fuit ejus aetatis, qui eum de missione, patientia, paupertate, devotione, et pietate superaret. *Hæc, videlicet, est mutatio dexterae Excelsi*, hæc est vis ignis divini, cui nulla cordis obstinatione resistitur.

Restat ultima proprietas ignis, quod res graves extenuet, et facili negotio sursum atollat. Quæ causa est, cur homines, qui non ardent amore divino, graves corde sint, et dicat illis Propheta: *Usquequo gravi corde, ut qui diligitis vanitatem et queritis mendacium?* Ea nimirum est causa, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, ut dicit Sapiens, et *jugum grave super filios Adam. a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium*, inquit Ecclesiasticus. Quod sit autem hoc jugum grave, quod in corpore mortali aggravat animam, explicat idem auctor paulo post cum addit *furor, zelus, fluctuatio, timor, iracundia, et cætera, quæ passiones animi dici solent*. Hæc hominem ita gravant, ut nihil aspiat, nisi terram, cui prostratus inhæret; et nec ad Deum querendum assurgere, nec viam mandatorum Dei expedite currere possit. Sed cum incipit ignis divinus ex alto corda humana succedere, continuo passiones illæ diminui, et mortificari, et onus grave levius fieri incipit, et si ardor crescat, non difficile est cor humanum ita exonerari, ut accipiat pennas sicut columbæ et cum Apostolo dicere possit: *Conversatio nostra in caelis est, et quasi corde dilatato per ignem dicat cum Davide: Viam mandatorum tuorum cœcavi, cum dilatasti cor meum*. Certe posteaquam Salvator dixit: *Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut ardeat?* vidimus plurimos ita leves effectos, ut omnem honorum, et carnis, et divitiarum affectum deposuerint et Christo in caelos abeunti dixerint: *Trahere nos post te*, hinc tot monasteria erecta, tot deserta habitari cœpta, tot chori Virginum inventi, quibus non solum facile fait, viam

mandatorum currere, sed etiam per viam consiliorum ascendere, et sequi agnum quocumque ierit. O beatus ignis, qui non consumis, sed illuminas, et si consumis, humorem noxium consumis, ne vitam extinguat. Quis mihi dabit, ut isto igne corripiar? qui nigredinem ignorantiae, et erroneae conscientiae obscuritatem luce veræ sapientiæ purget, et tollat? qui frigus pigritiæ, indevotionis, et negligentiae cum amoris ardore commutat: qui cor meum indurari nunquam sinat, sed calore suo semper emolliat, et obediens atque devotum efficiat: qui denique jugum grave terrenarum curarum, et terrenorum desideriorum auferat, et pennis sanctæ contemplationis, quæ charitatem nutrit, et auget, cor meum sursum atollat, ut cum Propheta dicere possim: *Lætifica, Domine, animam servus tui, quoniam ad te Domine, animam meam levavi*.

## GRADUS SEPTIMUS.

*Ex consideratione caeli, id est, solis, lunæ et stellarum.*

Non laborabimus hoc loco, ut ex consideratione caeli gradu nobis ad Deum considerandum eriganus, habemus enim præeuntem Prophetam regium, qui in Psalmis canit: *Cæli annuntiant gloriam Dei, et opera manuum ejus enuntiat firmamentum, et quoniam duo tempora sunt, quibus e caelo ad Deum penitus contemplationis ascendimus, diurnum videlicet, et nocturnum; de priore scribit in illo Psalmo: In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo caelo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus*. De posteriore scribit in alio Psalmo: *Videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, et stellas, quæ tu fundasti*.

Incipiamus a priore tempore. De sole, quem interdiu videmus, quatuor laudes canit Spiritus sanctus per os David; primam, quod sit tabernaculum Dei; secundam, quod sit pulcherrimum; tertiam, quod velocissime et sine fatione semper currat; quartam, quod illuminando et calefaciendo virtutem suam maxime manifestet. Propter hæc omnia scripsit Ecclesiasticus: *Vas admirabile oculis Excelsi; magnus Dominus, qui fecit illum*.

Primum igitur, conditor omnium rerum

Deus in sole, tanquam in re nobilissima, posuit tabernaculum suum, id est, inter omnes res corporales elegit Deus solem, ut in ipso, tanquam in palatio regio, vel divino sanctuario habitaret. Cælum quidem et terram Deus implet, et cælum, ac cœli colorum eum non capiunt, tamen ibi magis habitare dicitur, ubi majora signa presentiae suæ, mirabilia operando manifestat. Sed quoniam in textu Hebraico dicitur, soli tabernaculum posuit in eis, id est, in caelis: colligimus ex hoc loco Psalmi, alteram solis excellentiam, quæ cum priore non pugnat. Magna res est sol, cui palatium amplissimum, pulcherrimum, et nobilissimum Deus paravit, voluit enim ut cælum ipsum esset palatium solis, in quo libere perambularet, et operaretur: et ipse sol esset palatium summi Principis Dei. Quemadmodum igitur cognoscimus magnitudinem et eminentiam solis ex eo, quod tabernaculum ejus est cælum, ita cognoscimus magnitudinem et eminentiam Dei ex eo, quod tabernaculum ejus est sol, vas videlicet admirabile, et quo nihil mirabilius in rebus corporalibus invenitur.

Deinde David, ut pulchritudinem eximiam solis ex rebus notis ostenderet, comparavit eum cum sponso egrediente ex thalamo suo nunquam enim se magis ornant homines, neque unquam magis speciem et pulchritudinem ostentare cupiunt, quam cum sponsi sunt, tunc enim sponsæ oculis, quam vehementissime diligunt, placere supra modum cupiunt. Sed si possemus in solem aciem oculorum figere, etsi propinquiores illi essemus, et totum, quantum est, et qualis est, videremus, non indigeremus similitudine sponsi ad ejus incredibilem pulchritudinem capiendam, certe omnis venustas colorum a luce pendet, et absente luce omnis colorum pulchritudo evanescit, proinde nihil est pulchrius luce, et Deus ipse, qui est ipsa pulchritudo, lux appellari voluit, Deus, inquit S. Joannes, *lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, porro in rebus corporalibus, nihil est sole lucidius ac per hoc, nihil est sole formosius. Adde pulchritudinem rerum inferiorum, atque hominum præcipue, brevi marcescere, solis pulchritudinem nunquam extingui, nunquam minui semper omnia equali splendore lætificare. An non sentimus, in exortu solis, quam videantur res omnes quodammodo exhilarari? nec solum homines lætari, sed etiam suaves venti spirare, flores aperiri, herbas exurgere, aviculas æ-